Incipit prologus Severi rethoris de vita Sancti martini episcopi

Severus desiderio fratri carissimo salutem. Ego quidem frater unanimis libellum quem de vita sancti martini scripseram scheda sua premere et intra domesticas parietes cohibere decreveram: quia ut sum natura infirmus iudicia humana vitabam: ne quod fore arbitror sermo incultior legentibus displiceret omniumque reprehensione dignissimus iudicarer, qui materiam disertis merito scriptoribus reservandam impudens occupassem. Sed petenti tibi sepius negare non potui. Quid enim esset quod non amori tuo vel in detrimento mei pudoris impenderem. Ea tamen fiducia libellum edidi qua nulli a te prodendum reor, quia id promisisti. Sed vereor ne tu ei ianua sis futurus et emissus semel non queat revocari. Quod si acciderit et ab aliquibus eum legi videris bona venia id a lectoribus postulabis ut res potius quam verba perpendant. Et equo animo ferant si aures eorum vitiosus forsitan sermo perculerit. Quia regnum dei non in eloquentia sed in fide constat. Meminerint etiam salutem seculo non ab oratoribus sed a piscatoribus predicatam. Cum utique si utile fuisset id quoque dominus prestare potuisset. Ego enim cum primum animum ad scribendum appuli, quia nefas putarem tanti viri latere virtutes apud me ipse deduxi ut pro solecismis non erubescerem quia nec magnam istarum rerum scientiam umquam contigissem et si quid ex huiis studiis olim fortasse libassem, totum id desuetudine tanti temporis perdidissem. Sed tamen ne nobis maneat tam molesta defensio suppresso si tibi videtur nomine libellus edatur. Quod ut fieri valeat titulum frontis erade ut muta sit pagina et quod sufficit loquatur materiam non loquatur auctorem

Explicit prologus